



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hermanni Conringii De Antiquitatibus Academicis Dissertationes

Conring, Hermann

Helmeftadii, 1674

Supplementum LXVI. Ad pag. CXXXVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12929

obediencia Abbatis sui solutus, ad publicum prodiret docendique
 rursus officium assumeret. Differuit præterea eodem hoc de
 argumento in Filefaci sententiam, & Joannes Launæus cu-
 riosus ejusmodi rerum Parisiensis scholæ indagator, fabula-
 rumque sacrarum complurium felix triumphator, libello
 quem de Brunonis primi auctoris Carthusianæ disciplinæ se-
 cessu in eremum conscripsit, nonnulla pag. 109 & 110: sed
 prolixiora sunt quam ut huc transcribi possint, estq; ipse libel-
 lus vulgò in manibus, certe meretur lectionem diligentem.

SUPPLEMENTVM LXVI.

Ad pag. cxxxvi.

Purpureum galerum ab Innocentio id nominis quarto
 Pontifice Cardinalibus esse concessum, non Massonus so-
 lus sed etiam & pridem Martinus ac post Platina atque Onu-
 phrius testati sunt. Platinae verba sunt: *Idem* (Papa scilicet
 Innocentius) *bono consilio usus, Cardinalium sedes jampridem*
vacuas, optimo quoque in collegium cooptato, replevit: statuitque, ut
Cardinales equo in publicum vecti galero rubro uterentur, honestandi
ordinis causa. Ad quæ Onuphrius hæc annotavit. *Hic in vi-*
gilia Natalis Domini anno M CC XLIV. Lugduni in Concilio ge-
nerali, duodecim Cardinalibus creatis, ejus ordinis hominibus pro-
prium insigne pileum rubeum dedit. Auctor Martinus qui eo tem-
 pore vixit, in hujus Pontificis vitâ. Quo significabatur, eos etiam
 caput suum, si opus esset, pro Ecclesiastica libertate tuenda, gladio
 offerre debere: & præsertim eo tempore, quo Romana Ecclesia à
 Friderico II Imperatore vehementer oppugnabatur. Reliqua ejus
 ordinis insignia posteriores Pontifices excogitarunt, in his præcipuus
 fuit Paulus II. Hactenus Onuphrius Panvinius. Sunt qui ei-
 dem Innocentio acceptum referunt Pileum purpureum
 Doctorem: sed hactenus certum hujus rei argumentum
 nullum reperi, Dicemus sententiam nostram Supplemento
 proximo,

SUPPLE.